

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput VIII. Continens Historiam Nativitatis Christi, Luc. 2.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

propter quam rationem Christus, additione articuli, vocetur ὁ πρωτότοκος primogenitus ille, postea in historia purificationis explicandum erit: Quod verò Marc. 6, 3. numerantur quatuor fratres Christi, Hieronymus rectè respondit: Quatuor modis in Scriptura fratres dici, Natura, Gente, Cognatione, & Affectu: & in Evangelica historia Maria Alphæi & Cleophæ vocatur Jacobi & Iosès mater, ergò non ex Maria matre Domini nati sunt, & tamen vocantur fratres Domini, propter cognationem: sicut Loth & Abraham fratres sunt, Gen. 13, 8. De qua cognatione Christi, postea suo loco, plura dicemus.

A quarto igitur mense conceptionis Christi usque ad nativitatem ejus, ab Evangelistis nihil aliud annotatum est, quàm quòd Joseph Mariam assumptam secum habuerit, & excepto usu conjugali, curarit illam ut conjugem, ita, ut vulgus aliud etiam postea non intelligeret, quàm Josephum esse patrem Christi. Quia verò angelus ipsi meditandum proposuerat dictum Es. 7. v. 14. Non dubium igitur est, per quinque reliquos menses dulcissima fuisse colloquia inter Josephum & Mariam, de illis Prophetarum sententiis, quas ipsa ex annunciatione Gabrielis & ex colloquio cum Elifabeta didicerat.

CAPUT VIII.
CONTINENS HISTORIAM NATIVITATIS CHRISTI, Luc. 2.
RATIO ORDINIS.

HANC esse veram ἀκολουθίαν hujus historia, tum inde patet, quòd apud omnes Evangelistas præter præmissas nulla alia historia invenitur, quæ huic præponi vel possit

vel debeat: tum verò ex Matthæo manifestum est: is enim post colloquium Angeli cum Josepho ostendit, ordine hæc consecuta: quæ, quomodo facta sint, Lucas exponit.

HISTORIA NATIVITATIS CHRISTI, Luc. 2.

1. Εγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγουστῆ, ἀπογραφεῖσθαι πάντων τῶν οἰκουμένων.
2. Ἡ αὕτη ἦ ἡ δόσθηρα φη περὶ αὐτῆς, ἐγένετο ἡ γεμεῖν υἱοῦ τῆς Συρίας Κυρηνεύς.
3. Καὶ ἐπορεύθησαν πάντες δόσθηρα φησά, ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν.
4. Ἀνέβη δὲ καὶ Ἰωσήφ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, ἐκ πόλεως Ναζαρεθ, εἰς τὴν Ἰουδαίαν, εἰς πόλιν Δαβὶδ ἧτις καλεῖται Βηθλεὲμ, (διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατρὸς Δαβὶδ.)
5. Ἀπογραφεῖσθαι οὖν Μαριάμ τῇ μεμνηστυμένη ἀπὸ γυναικὸς ἑσθῆ ἐγκυῶν.
6. Εγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῆς, ἐκείνη ἐπέληθησαν αἱ ἡμέραι τῆς τεκεῖν αὐτῆς.
7. Καὶ ἐτεκε τὸ υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐσπαργάσθη αὐτὸν, καὶ ἀνεκλίεν αὐτὸν ἐν τῇ Φάτῃ, διότι οὐκ ἦν αἰσῆς τοῦ ἐν τῷ καλύματι.
8. Καὶ ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες, καὶ φυλασσόντες Φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τῶν ποιμένων αὐτῶν.
9. Καὶ ἰδοὺ, ἀγγελοῦ Κυρίου ἐπέση αὐτοῖς, καὶ δόξα Κυρίου περιέλαμψε ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν.
10. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἀγγελὸς· Μὴ φοβεῖσθε ἰδὲ γὰρ εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην, ἧτις ἐσται παντὶ τῷ λαῷ.
11. Ὅτι ἐτέθη ὑμῖν σημεῖον Σατῆρ, ὃς ἐστὶ Χριστὸς Κύριος ἐν πόλει Δαβὶδ.
12. Καὶ τὸ εἶδος ὑμῖν τὸ σημεῖον· Ἐυρήσετε βρέφος ἐσπαργαμένον, καὶ ἰδοὺ ἐν τῇ Φάτῃ.
13. Καὶ ἐξαφῆς ἐγένετο οὖν τῷ ἀγγέλῳ πλῆθος στρατίας ἑβραίων, ἀγγέλων τῶν Θεῶν, καὶ λεγόντων·
14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.

Harm. Tom. I.

1. Factum est autem in diebus illis, exiit decretum à Cesare Augusto, ut censeretur totus orbis.
2. Hæc descriptio prima facta est præside Syria Cyrenio.
3. Et ibant omnes, ut profiterentur in suam quisque civitatem.
4. Ascendit autem & Joseph à Galilæa, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, qua vocatur Bethlehem, (eo quòd esset de domo & familia David.)
5. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat pregnans.
6. Accidit autem, cum essent ibi, completi sunt dies pariendi.
7. Et peperit filium suum primogenitum, ac fasciis eum involoit, reclinavitque eum in præsepi: quòd non esset eis locus in diversorio.
8. Et pastores erant in regione eadem, vigilantes & excubantes excubias nocte super gregem suum.
9. Et ecce angelus Domini astitit illis, & claritas Domini circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.
10. Et dixit illis Angelus: Ne timeatis: ecce enim annuncio vobis gaudium magnum, quòd futurum est toti populo.
11. Quia natus est vobis hodie Servator, qui est Christus Dominus in civitate David.
12. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem fasciis involutum, positum in præsepi.
13. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum & dicentium:
14. Gloria in altissimis Deo, ac in terra pax, in hominibus bona voluntas.

H 2

I f. Kap

15. Καὶ ἐγένετο, ὡς ἀπέληλυθον ἀπὸ αὐτῶν εἰς τὸν ἄραν ὁ ἀγγελοῖ, καὶ οἱ ἀνθρώποι οἱ ποιμένες εἶπον πρὸς ἀλλήλους· Διέλθωμεν εἰς Βηθλεὲμ, καὶ ἴδωμεν τὸ ῥήμα τὸ ἐστὶν τοῦ γεγονότος, ὃ ὁ Κύριος ἐγνώρισεν ἡμῖν.
16. Καὶ ἦλθον ἀπεύσαντες, καὶ ἀνεύρον τὴν Μαριάμ καὶ τὸν Ἰωσήφ, καὶ τὸ βρέφος κείμενον ἐν τῇ φάτῃ.
17. Ἴδοντες ἡ διεγνώρισαν περὶ τῶν ῥημάτων τὰ λαληθέντων αὐτοῖς περὶ τῶν παιδῶν τούτων.
18. Καὶ πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐθαύμασαν περὶ τῶν λαληθέντων ὑπὸ τῶν ποιμένων πρὸς αὐτούς.
19. Ἡ δὲ Μαριάμ πάντα συνέτηρε τὰ ῥήματα ταῦτα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς.
20. Καὶ ἐπεσρέψαν οἱ ποιμένες, δοξάζοντες καὶ αἰνοῦντες τὸν Θεὸν ἐπὶ πάνσιν οἷς ἠκούσαν, καὶ εἶδον, καθὼς ἐλάληθη πρὸς αὐτούς.
15. Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in caelum, & homines pastores loquebantur inter sese: Transeamus jam Bethlebem usque, & videamus hoc quod audivimus accidisse, quod Dominus apparuit nobis.
16. Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam & Joseph, & infantem positum in praesepe.
17. Quum vidissent autem, divulgaverunt de verbo quod dictum erat apud ipsos de puero hoc.
18. Et omnes qui audierunt, mirari sunt de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos.
19. Porro Maria conservabat omnia verba haec, confrens in corde suo.
20. Et reverfi sunt pastores, glorificantes ac laudantes Deum super omnibus, quae audierant & viderant, ita ut dictum fuerat apud ipsos.

Periocha Historiae Nativitatis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem.

QVIA Lucas in descriptione Nativitatis Christi mentionem facit imperii Augusti, & Matthaeus regni Herodis, eo ipso praebent manifestam commonefactionem Evangelistae: Sicut felix, faustum & salutare illud tempus, quo filius Dei, homo factus, in hunc mundum natus est, dignum est aeterna memoria: Ita diligentiam dignam esse pie eruditus in Ecclesia, inquirere annotationes sive supputationem illius temporis. Prodest enim ad considerationem promissionum de Messia, quae ab initio post lapsum generis humani saepius repetita, tandem in plenitudine temporis, Incarnatione filii Dei, exhibitae & impletae sunt.

Est autem in supputationibus à condito mundo ad nativitatem Christi, inter illos etiam qui Ebraicam veritatem sequuntur, quaedam diversitas, quae inde oritur. Omnes reliqui numeri certo possunt ex Scriptura colligi: sed tribus in locis de annis quibusdam controversia est: 1. Ab aedificatione templi Salomonis usque ad captivitatem Babylonicam. Josephus enim ab extructione templi usque ad conflagrationem ejus numerat annos 470. Sed ex libris Regum colliguntur tantum 431. ponuntur ergo interregna quaedam, quibus alii plures, alii pauciores annos tribuunt. 2. Est etiam controversia quaedam, ubi incoandi sint 70. anni captivitatis Babylonicae: quae tamen differentia tantum est undecim annorum. 3. Non omnes eodem modo initium hebdomadam Danielis constituunt: sed differunt alii per annos 46. alii etiam per plures annos differunt. Hinc oritur diversitas quaedam supputationum ab initio mundi usque ad natum Christum, quarum Lucas Gaucricus multas colligit. Nos insigniores tantum adscribemus.

Picus Mirandulanus dicit, Hebraeos quosdam ab initio mundi usque ad nativitatem Christi numerare, 3508.

Chronica verò Hebraeorum, 3760.

Hieronymus, Beda, Hermannus contractus numerant, 3952.

Picus Mirandulanus, 3958.

Alii, 3960.

Lutherus post Urspergensem, 3962. quem etiam Philippus sequitur.

Aliacensis ex Vincentio colligit, 3963.

Funccius, 3964.

Magister sententiarum, 3971. Hic numerus quibusdam ideò placet, quia hac calculatione, unà cum principio ministerii Baptistae terminatur quartus millenarius mundi, juxta dictum domus Eliae. Lex enim & Propheta usque ad Joannem, Matth. 11. v. 13.

Theophilus ad Autolyicum ponit, 3974. licet postea in fine 3. libri graecorum supputationem sequatur.

Carolus Bovillus, 3984.

Ex Joseph. lib. 10. Antiq. colligi videntur, 4103.

Dionysius, Abbas Romanus, 4204.

Aurelius Cassiodorus, 4697.

Et haec diversitas inter illos est, qui videri volunt Ebraicam veritatem sequi.

Ex versione verò 70. interpretum, qui in numeris Gen. 5. v. 11. usque ad Abrahamum, pro centum, semper transtulerunt ducentos, alia orta fuit apud scriptores diversitas.

Epiphanius contra Manichaeos, ab initio mundi usque ad Christum natum, numerat, 5029.

Paulus Orosius, 5049.

Augustinus lib. 2. de mirabilibus Scripturae, 5195.

Eusebius, 5199.

Beda, 5200.

Isidorus lib. 5. Etymologiarum, 5210.

Rabanus, 5296.

Suida, 5500.

Niceta Graecus supputatur temporum, 5506.

Astrologi Arabes numerant 5328. Alii, 5492.

Alphonius, 6984.

Hanc diversitatem supputationum annotavi, ut eo facilius institui posset collatio, quae non difficilis est, quando fundamenta supputationum nota sunt.

Nos Lutheri & Philippi supputationem, quae plerisque eruditus hoc seculo usitata est, sequemur, & tantum è repetitionibus promissionum

tionum de Messia supputationes instituemus. Fuit igitur plenitudo temporis, quando Deus filium suum misit, natum ex muliere, Gal. 4. v. 4. Anno à promulgatione primæ promissionis, Gen. 3. 15. de semine mulieris contrituro caput serpentis, 3962.

A repetita promissione statim post diluivum, cum odoraretur Deus odorem svavitatis, Gen. 8. 21. & c. 9. usque ad plenitudinem illam temporis: Anni 2305.

A repetitione promissionis facta in vocatione Abrahæ: Anni 1938.

A data circumcissione: Anni 1914.

Ab exitu ex Ægypto: Anni 1504.

A repetitione promissionis, quæ facta est Davidi: Anni 1062.

Ab ædificatione templi Salomonis, quod figura fuit Christi: Anni 1029.

Ab illustratione promissionis facta per Isaiam de virgine matre Messia: Anni 755.

A sceptri ablatione seu desolatione Hierosolymorum: Anni 606.

A reedificatione templi secundi sub Dario Histaspæ, sive à repetitionibus promissionum de Messia, factis per Aggæum & Zachariam: Anni 518.

Ab ultimo Propheta Malachia, sive à postrema repetitione promissionis de Messia, Mal. 3. v. 1. Anni 456.

A cidaris ablatione sive ab ultimo duce ex domo Davidis, Anni 164.

Has judico, esse præcipuas supputationes, quæ monent, quomodo subindè clarius repetita sit promissio de semine mulieris, donec tandem in plenitudine temporis impleta & exhibita est.

Lucas verò in descriptione historiae nativitatæ Christi, meminit Imperatoris Augusti, & Matthæus, Regis Herodis. Monent igitur, illorum annos considerandos, & cum tempore nativitatæ Christi conferendos esse. Et Epiphanius quidem aliquot locis, constanter repetit, Christum natum esse Anno imperii Augusti 42. Idem etiam Eusebius confirmat. Et hos reliqui sequuntur. Nisi quòd Irenæus alicubi ponit annum Augusti 41. Et hic numerus etiam apud Tertullianum extat. Quod inde factum esse arbitror, vel, quia alii statim à morte Julii Cæsaris imperii Augusti incoant, alii anno sequenti, vel quia tempus nativitatæ Christi incidit sub ipsum finem anni juxta calendarium Romanum, & ideò supputatio ad annum sequentem à plerisque, qui ponunt annum 42. Augusti, refertur, cum revera ad finem anni 41. pertineat.

In supputatione etiam annorum Herodis talis quædam est diversitas. Epiphanius enim ponit, Christum natum anno regni Herodis trigesimo tertio, Lutherus & alii ponunt annum trigesimum regni Herodis. Sed diversitas inde oritur, quòd quidam initium regni Herodis illud constituent, quando à Senatu Romano appellatus est Rex Judææ: Anno 9. imperii Augusti. Alii verò ab occupata Hierosolyma, Anno imperii Augusti 12. initium regni Herodis faciunt. Hæc ideò observanda sunt, ne quis diversitate supputationum turbetur, quasi in certa sint omnia. Et postea ubi de commoratione Josephi

Harm. Tom. I.

& Mariæ in Ægypto dicendum erit, hujus observationis usus erit.

Fit autem in historia nativitatæ Christi mentio Imperii Augusti, quia, quòd Deus Nabuchodonosori per quietem in statua monstrat, hoc Daniel ita interpretatus fuerat, tempore quartæ Monarchiæ venturum cœli regnum, quando futurum esset, ut lapis sine manibus à monte absunderetur. Et, census per (universum terrarum orbem,) illo ipso, cum Christus nasceretur, anno, actus, ostendit, tunc confirmatum fuisse super universum orbem Monarchiam Romani imperii. Cur verò & regni Herodis mentio fiat, notum est: ut scilicet ostendatur, penitus tunc sublatum fuisse sceptrum à Juda, Gen. 49. v. 10.

Porrò etiam de die natali Domini, pia quædam Ecclesiæ curiositas putavit inquirendum. Vulgaris opinio est, 25. diem Decembris esse memoria natalis Domini sacrum. Epiphanius ponit 6. Januarii. Clemens Alexandrinus 1. Stromat. dicit, diversas suo tempore sententias in Ecclesia fuisse, de natali Domini. Quosdam enim posuisse 25. diem *Φαρουσι* Ægyptiorum, qui nostro respondet Aprili. Alios 25. *Παριων*, qui Majo nostro respondet. Existimo autem, opiniones illas apud Clementem inde ortas fuisse: quòd sextum mensem, quò Lucas Angelum dicit missum esse ad Mariam virginem, supputarint non à conceptione Baptistæ, sed ab initio anni legalis, hoc est, à Martio. Et juxta hanc opinionem conceptus esset Christus mense Augusto vel Septembri, & nonus ab hinc mensis esset, vel Aprilis vel Majus: Sed hæc cum narratione Lucæ non conveniunt, & Gabriel disertè dicit, fuisse sextum mensem, non ab initio anni, sed à conceptione Elisabethæ.

Osiander alio utitur argumento, tempus brumæ non esse natalem Domini: quia tunc, cum Christus nasceretur, pastores noctu cum gregibus suis in campis versabantur, quòd ipso tempore brumæ non potuissent, ne in calidis quidem illis regionibus, fieri existimat. Sed hæc de quibus ex scriptura nihil certi potest constitui, quæque ad summam pietatis nihil admodum habent momenti, in medio relinquamus, & ad explicationem reliquarum circumstantiarum, quæ à Luca descripæ sunt, digrediamur.

Quare autem tam accuratè Lucas describat, Dominum nostrum Jesum Christum illo ipso planè tempore natum esse, quò ab Imperatore Augusto exierat decretum de censu agendo, per totum orbem, qui Romano Imperio parebat, expositis vocabulis rectius potest explicari & intelligi. *Απογραφή*, Suidas dicit fuisse genus actionis forensis, quando enim quis alium accusabat, quòd bona quædam Reipub. in privatum usum convertisset, ita ut actor quasi prolatis tabulis ostenderet, quantum publica pecuniæ, & unde reus haberet, tunc dicebatur facere *ἀπογραφήν*. Et Budæus tradit verbum *ἀπογραφή* significare, in rationes referre: & *ἀπογραφή* idem significare, quòd vulgo vocatur Inventarium. Ita Jud. 8. v. 14. usurpatur de 77. viris in Succoth, quos Gedeon descriperat interficiendos. Ab illa generali significatione translatum est vocabulum ad censum: ita ut *ἀπογραφή* significet descriptionem seu partitionem

H 3

in

in ordines, familias, civitates, tribus aut centurias, una cum notatione facultatum seu bonorum cujusque. Et respectu eorum qui censabantur, dicebatur professio: Descriptio vero, respectu eorum, qui censabant. Hæc Budæus. Et Esther 10. v. 1. ubi textus dicit, Assuerum imposuisse tributum omnibus regnis suis. Græci vero *εγγραψε* illud reddiderunt. Et Ebr. 12. v. 23. Ecclesiæ filii dicuntur, ut cives seu subditi in cælo *απογεγραμμένοι*.

Et multi quidem hanc descriptionem confundunt cum ea, quæ extat apud Josephum lib. Ant. 18. cap. 1. Sed Josephi illa descriptio facta fuit, cum post relegatum Archelaum Judæa in formam provinciæ redigeretur, & Syriæ adjungeretur, annis post Christum natum ad minimum 13. & solius Judææ descriptio illa fuit: Hæc verò totius orbis, qui Romanum agnoscebat imperium, descriptio fuit, quam Josephus, quia Judaicam tantum historiam conscribere constituerat, præterit. Ad conciliandum igitur Lucam & Josephum, non opus est dicere, Josephum in tempore descriptionis errasse: Sed alia est descriptio totius orbis, cujus Lucas meminit, & alia post secuta solius Judææ, quam Josephus annotavit: cujus etiam Actor. 5. vers. 37. videtur mentio fieri. Videtur uxor hæc Lucæ *απογραφή* illa esse, quam Dion Nicæus in Augusto describit. Cum enim Augustus antea ad alendos varios exercitus tributum loco vigesimam omnium hereditatum, legatorum, & donationum exegisset, ac intelligeret, plerosque id genus tributum ægrè ferre, constituit, ædibus & agris tributum imponere, nec tamen definivit, quantum vel quomodo sibi persolvi vellet, sed aliquot homines misit in diversas orbis partes, à quibus possessiones, & privatorum hominum, atque adeo ipsarum etiam civitatum, describerentur. Et Dion ipsum verbum *απογραφή*, quod a quodam Lucam extat, in historia illa usurpat. Et Dion quidem in quintum decimum Imperii Augusti descriptionem illam rejicit, sed major ac certior est Lucæ auctoritas. Accedit, quòd in eandem sententiam & Suidas scribit, Augustum Cæsarem, cum Monarchiam jam constituisset, viginti viros, quos habebat virtute præstantissimos, misisse in omnes terras Romano imperio subjectas, ut per illos faceret *απογραφάς* & hominum & facultatum, ut constituere posset, quàm dives viris esset Romanum imperium, & quæ cujusque regionis, urbis, familiæ & domus facultates essent. Et talis descriptionis, quò ad rem ipsam, similia ferè exempla extant in Veteri Testamento, Num. 1. v. 2. c. 4, 2. & 26. v. 2. Exod. 30. v. 12. 2. Reg. 24. v. 2. 2. Par. 2. v. 17. Sed vocabulum *απογραφάς* in versione 70. non potui in illis quidem locis invenire. Reperi autem locum, ex cujus collatione non tantum vocabulum, verum etiam res ipsa, de qua Lucas loquitur, poterit intelligi. Extat autem in 3. lib. Machabæorum, ubi vocabula *απογραφή* & *απογραφέων* aliquoties reperiuntur de Ptolemæo Philopatre: qui proposuit edictum, ut Judæi omnes censu habito in servilem sortem redigerentur. Ed addit historia, quod plerique intrepidè se ipsos conabantur liberare, ne nomina profiterentur. In isto loco

nominatur *απογραφή* & *λαογραφία*, quam vitæ & facultatum periculo Judæi averlabantur: quia scilicet hoc agebatur, ut Judæi non amplius peculiaris essent populus nec *αὐτονομίαν* retinerent, sed inter cives & subditos regni Egypti publica nota ascriberentur. Et ex hujus loci collatione, judico, multa posse explicari de descriptione Luc. 2. Dicit autem Lucas hanc (descriptionem primam) fuisse, respectu scilicet alterius, quæ post annos tredecim secuta est apud Joseph. Ant. 18. cap. 1. Et in catalogo Consulatum Romanorum, circa 32. annum imperii Augusti mentio fit (*P. Sulpitii Quirini*), qui postea Proconsul, Syriæ Præses factus est, sub quo hanc descriptionem factam esse, Lucas asserit. Et Syrus legit non Cyrenium, sed Kyrinum.

Significat autem Lucas, servatam fuisse apud Judæos, in descriptione illa Augusti, eam rationem, quæ antea sub Veteri Testamento usitata fuerat, ut scilicet populus distribueretur in tribus, tribus in familias, familiæ in domos, domus in capita, Num. 1. vers. 2. & Jos. 7. vers. 16. Ideò enim Josepho, quia de domo & familia Davidis erat, proficiscendum fuit in civitatem Bethlehem, ut ibi describeretur. Quòd autem non solus Joseph Bethlehem ad professionem illam profectus est: sed Mariam, quæ uxor ipsius erat, non usu conjugali, sed de sponsatione tenens, licet eam domum deduxerat, Matth. 1. v. 24. (hunc enim sensum verba Lucæ [*cum desponsata sibi uxore,*] reddunt) per tam longinquum iter duxit, & quidem alieno tempore, cum esset gravida & partui valdè vicina, non sine urgentibus causis factum est: aliàs enim commodius fuisset ipsam, tunc quidem temporis, domi manere. Et mysterium quidem, quòd Messiam oporteret nasci in Bethlehem, ipsos tunc nondum satis intellexisse, postea dicemus. Nec moris fuit, mulieres in descriptionibus censere, sicut Exod. 30. v. 12. & Num. 1. v. 2. expresse nominatur sexus masculinus. Et Burgenfis idem colligit ex historia, Matth. 17. vers. 24. Lyra suas sequitur conjecturas, quòd Maria unica filia Joachim, juxta Legem, Num. 36. v. 6. successerit in hereditatem paternarum possessionum in Bethlehem, & propter illarum descriptionem fuisse ipsam eundem ad professionem. Similia ferè Nicephorus habet. Sed hæc descriptioni paupertatis Mariæ non satis conveniunt. Et si maximè ita fuisset, jam ad Josephum jure conjugii, possessiones illæ translata fuissent. Vel igitur in illis, qui erant de Domo Davidis, extraordinariè aliquid tentatum fuit: ut scilicet omnes & viri & mulieres describerentur, propterea, quia vulgò notum & in ore omnium erat, ex domo & familia Davidis venturum Regem Judæorum: vel quia Josepho divinitus per Angelum commendata erat cura & matris Mariæ & infantis nascituri. Matth. 1. v. 20. cum jam instaret tempus pariendi, & ipse vocatus ad professionem, non posse tempore partus in Nazareth apud Mariam manere, ut igitur mandato divino, per Angelum accepto, satisfacere, duxit eam secum in Bethlehem. Nam quia & exules erant, & ex regio genere ad extremam pauperatam redacti erant, non in magno precio habitati fuerunt apud Nazarenos, sic ut ex historia Evangelica colligitur. Ita ut Joseph,

seph, peregrè abiturus, nemini tutò potuerit Mariam gravidam, & jam partui vicinam, committere. Nam de moribus Nazarethanorum vulgare proverbium erat: Num ex Nazareth aliquid boni? Priorem sensum Syrus sequitur, Joseph ascendit cum Maria, ut ibi profiteretur. Et verba Evangelistæ utroq; modo construi possunt: vel, (*Joseph ascendit à Galilea in civitatem David cum Maria: vel, ut profiteretur cum Maria &c.*) Sed si hæc siue alia fuerint causæ, certum est Deum descriptionem illam divina sua dispensatione ita moderatum esse, ut Maria, quæ aliàs in Nazareth domi mansisset, hac occasione in Bethlehem Judææ profecta ibi pareret Messiam, juxta Scripturam.

Et hoc loco consideretur, quare illo ipso tempore hujus descriptionis Christus voluerit nasci. Nos præcipuas causas annotabimus.

I. Prædictum erat, Dan. 2, 44. fore, ut tempore quartæ Monarchiæ Deus suscitaret cæli regnum. Jam sub Julio cœpta quidem fuerat forma Reip. Romanæ mutari in Monarchiam, sed interrupta erat cæde Julii; Et Augusto cum variis imperii hostibus & competitoribus dimicandum fuit. Tandem verò hostibus devictis & regionibus omnibus subactis, Anno 42. per universum orbem, qui Romano Cæsari parebat, censum agendum instituit, quod signum & testimonium erat, Monarchiam Romani Imperii jam esse constitutam & confirmatam, parta pace & devictis hostibus: Tunc, cum Augusto templum Jani tertio clauserat, cum princeps pacis nasciturus esset, Pf. 74, 7. Es. 2, 4. Syrus Paraph. dicit Augustum voluisse describi universum populum professionis seu ditionis suæ. Lucas enim *πάσαν οἰκουμένην* intelligit eam, quæ subjecta tunc fuit Romano Imperio. Multæ enim adhuc provinciæ erant, quæ Romano Imperio non cognoscebant. Idem ergo est, ac si Lucas dixisset; tempore quartæ Monarchiæ, juxta vaticinium Danielis, Christum natum esse.

II. Quia *λαογραφία* seu *ἀπογραφή*, Mach. 3. eo loco apud Judæos habita fuit, quasi non tantum sceptrum auferret, sed totius Reip. Israelitæ statum funditus everteret: sicut testatur historia Mach. 3. Voluit igitur Lucas mentione descriptionis indicare, natum esse Christum illo ipso planè tempore, sicut à Prophetis prædictum fuerat, quando scilicet ablato septro & cidari status populi Israelitici funditus collapsus erat. Atq; ideo Lucas non contentus est eo, quod Matthæus dixerat, (*Temporibus Herodis Regis*) sed addit, tunc natum esse Christum, quando Judæa, sicut Syria & reliquæ totius orbis regiones, in censu Romani Imperii descripta fuit. Hoc enim Lucas vult dicere, non impositam fuisse Judææ extraordinariam aliquam exactionem pecuniariam, sicut antea à Pompejo & Crasso factum fuerat, sed sicut totus orbis tunc descriptus fuit, ut censu agnoscerent & profiterentur, se esse membra & subditos Romani Imperii, planè eodem modo etiam Judæam descriptam. Ideo in descriptione seu censu adjuncta fuit Judæa Syria, utrunq; igitur considerandum est: & quod Matthæus dicit: Natum esse Christum temporibus Herodis Regis, & quod Lucas annotat: Accessisse Judææ præter regnum Herodis alienigenæ, etiam descriptionem decretam & imposi-

tam ab Imperatore Romano, ut undiq; ostendatur, plenitudinem temporis, sicut Paulus vocat, tunc, cum Christus nasceretur, adfuisse. Et dignum est observatione, quod post Archelaum, hoc est, illo ipso fermè anno, quando Christus primum in templo, Anno ætatis 12. docuit, Josephus dicit factam esse alteram descriptionem. Et sub Vespasiano, cum immineret extremum excidium populi Judaici, tertia facta est descriptio. Joseph. de bello Jud. l. 7. c. 26.

III. Christus cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, forma servi sumta: inquit Paulus, Phil. 2, 7. Voluit igitur nasci, ut descriptione illa in utero materno quasi in servitutem redigeretur: sicut ostendit descriptio Macch. 3. ut, cum filius & liber esset, assumta forma servi, eos, qui sub servitutem peccati, diaboli & mortis venundati erant, redimeret & liberaret. Ita enim fermè Christus ipse Matth. 17, 25. exponit, quod à liberis non exigatur census. Ac propter nos Christus inter servos scribi voluit, ut propter ipsum nos cæli civibus ascriberemur, sicut Epistola ad Ebr. inquit c. 12. v. 23.

IV. Mirabile Dei consilium in eo considerandum proponitur, quod illa ipsa descriptione, qua Augustus Cæsar populum Judaicum & præcipuè domum Davidis à spe Regni promissi de-jicere constituerat, efficitur, ut Messias in loco à Prophetis, prædicto Bethlehem scilicet: nascatur. Sicut enim de adducta asina in die Palmatum, ne res ex composito ita gesta videretur, Joh. c. 12. v. 16. inquit: Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum, sed quando glorificatus erat Christus, tunc recordati sunt, quod hæc, quæ fecerant ei, essent scripta de eo. Ita etiam, ut non humanis consiliis, sed solius Dei providentia, nativitas Christi gubernaretur, Maria habitavit Nazarethæ, & adeo non cogitavit de sede transferenda in Bethlehem, ut cum per tres menses à conceptione in Montanis Juda, non procul à Bethlehem commorata fuisset, redierit Nazaretham, & ibi vicina partui, tempus pariendi expectarit. Quia verò in Bethlehem Messias debebat nasci, sicut Scribæ Herodi sciscitandi ex Scriptura respondent, Matth. 2. v. 5. in ipso fermè articulo temporis partus, decretum Augusti de descriptione compellit eos, ut proficiantur in Bethlehem. Et sine dubio, præter animi sententiam ipsis hæc profectio accidit, & cum præsertim Maria tam propinqua esset partui, de misera sua sorte justas quærelas in itinere contulerunt. Ita autem Deus mirabiliter perfecit, ut juxta dictum Michææ Christus nasceretur in Bethlehem, de quo Maria & Joseph nihil cogitarent. Et hoc mysterium ab ipsis postea intellectum fuisse, inde colligitur, quod Joseph ex Ægypto reversus, cogitavit non in Galilæam sibi redeundum, sed in tribu Juda commorandum, Matth. 2. v. 22.

V. Illa ipsa descriptio publicum & authenticum præbet testimonium, Christum ex semine Davidis esse natum. Omnes enim qui ex familia Davidis in Bethlehem tunc congregati fuerunt, agnoverunt Josephum & Mariam esse de domo & ex semine Davidis. Et hoc, per descriptionem in publica Rom. imperii commentaria relatū fuit, ut ita de Genealogia Christi nullus esset ambi-gendi locus. Atq; ideo non simpliciter dicit: (*In-*

civitatem David,) sed addit, (*quæ vocatur Bethlehem.*) Nam & arx Zion, licet ad tribum Benjamin pertineat, vocatur civitas Davidis, quia regni sedem eam delegerat: Bethlehem verò vocatur civitas Davidis, quia in ea natus fuerat.

Hæc de professione sive descriptione. cujus Lucas mentionem facit, considerare non inutile fuerit.

Quòd verò (*non potuerunt in diversorio commodum locum, ubi Maria pareret, habere.*) hac ratione, quantum ad historiam pertinet, sine dubio factum est. Bethlehem non fuit ampla civitas, Mich. 5, 2. Et Joh. 7, 42. vocatur *κώμη*. Usitata autem est differentia, etiam in Novo Testamento, inter *πόλις* & *κώμη*. Ebraei addunt tertium genus, ut 2. Par. 27, 4. quòd Marcus c. 1, 38. videtur reddidisse *κωμόπολις*. Et in illam non valde amplam civitatulam multi tunc convenerunt. Burgensis enim id, quòd Lucas distinctè ponit, non tantum de domo, sed de familia Davidis, interpretatur de reliqua etiam familia Isai, præter filios Davidis. Erant autem inter filios Davidis, quidam opibus & dignitate adhuc quomodocunque florentes, qui scilicet in domum magni consilii sive *συνέδριον* allegabantur, & illos commodissima quoque in hospitibus loca occupasse, non est dubium. Meminit autem Lucas *καταλύματος*. Et Scholastica historia suo more disputat: diversorium fuisse locum, in publica platea, deambulationibus, & alligandis rusticorum adventantium jumentis destinatum. Sed vocabulum significat, vel ipsum hospitium, vel communem aliquem in domo sive hospitio locum, in quo promiscuè hospites commorabantur, & farcinulas suas deponebant, vel ubi comuni mensa hospites cibum capiebant: ita usurpatur, 1. Reg. 9, 22. & Marc. 14, 14. Luc. 22, 11. interpretor itaq; Josephum & Mariam, in illo communi diversorii *καταλύματι*, antea forsan locum habuisse cum cæteris hospitibus: sed tantum tempus pariendi Mariæ veniret, in illo communi (ut sic vocem) triclinio ad partum non potuit locum habere, cum peculiariter in domo illa reliqua cubacula seu conclavia à ditioribus occupata essent, & cæteri hospites pauperculæ puerperæ ex triclinio illo communi nollent cedere. Ne igitur in conspectu omnium pareret, in stabulum ipsi concedendum fuit. Postea enim, Matt. 2, 11. Magi Mariam cum puero inveniunt in domo scilicet diversorii illius. Et hoc ipsum mysteriò incarnationis filii Dei pulcherrimè congruit. Veniebat enim in hunc mundum, ut genus humanum, propter peccatū paradiso ejectū, cælesti patriæ restitueret. Mater igitur ipsum paritura, ex locis hominum habitationi commodis, in stabulum, hoc est, in locum pecoribus destinatum, ejecta est, ut filius natus suo exilio nos jumentis assimilatos, Ps. 49, 13. & paradiso extorres, veræ & cælesti patriæ restitueret. Hæc ex historia certa sunt. Vulgaris autem opinio est de bove & asino, quam arbitror, ex illa conjectura esse ortam, quia Lucas nominat præsepe, & verisimile est, in tanta hospitum frequentia, qui non omnes pedestri itinere venerunt, ne stabula quidem & præsepia vacua fuisse. Quia verò Pro. 14, 4. Isa. 1, 3. Luc. 13, 15. asinus præsepi alligatur, extracta est inde traditio de bove & asino, in quorum medio Christus sit natus, & in præsepi reclina-

tus. Et sicut fieri solet, quando incertis traditionibus species aliqua induitur, peregrinæ Scripturæ sententiæ huc accommodari cœperunt, ut Isa. 1, 3. Cognovit bos dominum suum, & asinus præsepe domini sui. Et quòd septuaginta Habac. 3, 1. ita transtulerunt: In medio duorum animalium cognosceris. Multa verò veteres de bove illo & asino philosophati sunt: sed conjecturæ tales, si sobriè usurpantur, sicut non odiose exagitantur, ita nec temerè asseveranda pro dogmate. Nec opus est dubia & incerta, licet speciem aliquam verisimilitudinis habeant, curiosius consectari, cum in illis evolvendis, quæ Spiritus Sanctus per Evangelistas literis commendavit, utilius operam collocare possimus.

Illud verò dignum est admiratione, quòd Evangelista adeò simpliciter, & quidem tam paucis verbis prosequitur, & absolvit illam partem historię, quomodo Filius Dei homo factus, ex Maria matre per nativitatem in hunc mundum progressus & natus sit. Hæc enim tantum verba huc pertinent: (*Impleti sunt dies Mariæ ut pareret, & peperit filium suum primogenitum illum, & pannis eum involvit, in præsepi &c.*) Hieronymus ex illis verbis, quòd Maria dicitur ipsa infantem natum involvisse, & in præsepe reclinasse, colligit, nullam ibi obstetricem, nullam muliercularum intercessisse sollicitudinem, sed ipsam fuisse & matrem & obstetricem. Alii, sicut ex Gregor. Niseno citatur, inde colligunt: Mariam sine dolore & difficultate peperisse, quòd ipsa statim potuerit infantem natum curare, quia dolor in partu sit pœna illius corruptionis: in iniquitatibus conceptus, in peccatis natus. Pleriq; patres ita disputant: quia scriptum est, virgo concipiet, & virgo pariet: eadem ergo ratione Christum natum esse, quia conceptus est, ut scilicet non frangeret virginitatis claustra, sed sicut impassibiliter introiit, ita & ineffabiliter exierit, non aperta matris vulva. Et sanè, non his tantum, verum etiam majoribus miraculis Christum potuisse nasci, non est dubium. Sed Lucas simpliciter utitur vulgaribus & usitatis vocabulis: (*Impleti sunt dies, ut Maria pareret, & peperit filium suum,*) & videtur hoc idè fecisse, ut ostenderet, non quærenda esse præter Scripturæ testimonia extraordinaria miracula in nativitate Christi: sed quæ naturali ratione post conceptum fœtum in utero materno sequi, quæ in partu fieri, & partum comitari solent, cogitanda esse etiam de hac nativitate: sicut & Hieronymus contra Helvidium sentit, & ante ipsum Tertullianus scripsit de carne Christi.

Ephesina Synodus mysterium hoc nativitatis pulcherrimo vocabulo cõsiderandum proponit, quando inquit: filium Dei sustinuisse nativitatem ex virgine. Considerentur enim illa omnia, quæ in utero materno, fœtui concepto, naturali ratione accidere, quæ in partu fieri solent, & aliquo modo cogitari poterit, quanta fuerit extrinsecus etiam angelis admiranda, quòd filius Dei in assumpta sua humana natura illa sustinuerit. Potuisset sanè veram humanam naturam assumere, vel sicut Adâ ex limo terræ formatus est, vel sicut Eva ex latere Adæ ædificata est, vel alia super naturali ratione. Sed propter nos, ut miserâ & imundâ nostrâ nativitate mundaretur & sanctificaretur, utq; fratribus excepto peccato, per omnia similibus

millis fieret, voluit illa, quæ in sua nativitate sustinere. Nam & tristiora & indigniora propter nos homines & propter nostram salutem in cruce passus est. Hæc sententia plena est consolationis, & congruit cum præceptis fidei nostræ articulis, & cum testimoniis Scripturæ de nativitate Domini, Luc. 2. v. 7. Et sententia illa Exod. 13. v. 2. Num. 8. 16. de primogenitis aperientibus matricem, accommodatur etiam ad Christum, Luc. 2. 23. Pl. 2. 2. 10. in persona Christi inquit, tu extraxisti me ex utero matris, &c. Non negarim potuisse extra ordinaria quædam miracula in partu virginis fieri; sed ubi desitimus Scripturæ testimonio, nihil asseverandum, sed potius cogitandum est, quod Paulus dicit. Exinanivit semetipsum, Philipp. 2. v. 7.

Σπαργανα, Grammatici interpretantur primas (*fascias*), quibus infans recens natus in volvi & altringi solet: sed quia originem habet ἀπὸ τῆς σπαρασσειν, quod significat lacerare & convellere, inde orta est sententia de laceris panniculis. Et quidem quando Angelus hoc pro signo dat pastoribus, invenietis infantem ἐσπαργανωμένον, jacentem in præsepi, videtur significare, sicut in cunis, ita etiam in fasciis Christi infantis fuisse singularem aliquam exinanitionem. Si enim vel ulitara vel elegantiores fuissent fasciæ, non potuissent esse signum, quo natus Messias, à reliquis infantibus qui in civitate Bethlehem tunc etiam fasciis involuti fuerunt, dignosci potuisset.

Et ita Nativitas Christi simplicissimè tanquam vulgaris, imò tanquam abjectissimi cuiusdam hominis ortus describitur, ut huic infanti non conveniat tumidus iste titulus, summo vel illustri loco natus; sed potius obscuro & sordido loco natus. Nullus ibi angelus, nulla lux cælestis apparuisse, nullum miraculum in stabulo factum legitur. Visum hoc fuit quibusdam indignum Majestate filii Dei. Ideò confectum est prorevelandum titulo Jacobi fratris Domini; Quod narrat, Mariam in medio itinere partu præoccupatam, in loco deserto in speluncam quandam ingressam, & Josephum, cum ad quærendam obstetricem abiisset, multa vidisse miracula, cælum sc. stare: aves in medio volatu immobilis consistere: hircos ore imminentes aquæ nihil potare; pastoris manum, qua virgam ad cogendas oves elevaret, in aëre quasi pendere: lucidam nubem obumbrare speluncam: obstetrici, quæ post partum supervenerat, manum arsisse, quæ contactu infantis restituta sit, &c.

Hæc apocrypha postea titulum traditionum acceperunt, quo titulo ipsi patres sæpe fascinati sunt. Ita ut Epiphano, item Theophylacto in 2. c. Matthæi, pro loco natali Domini, magis probetur spelunca traditionis, quam stabulum Evangelistæ. Et legendæ tradunt, ostendi rupem quandam excavatam, non procul à porta Bethlehem, ubi Christus natus sit. Hæc debemus tra-

ditionibus, quòd à verbo Dei abducti, rem ipsam fermè anisimus. Si enim Christus non est in civitate Bethlehè natus, non potest esse verus Messias juxta vaticinia Prophetarum, Matt. 2. 5.

Vincentius dicit: Corpus Christi cum ex utero Mariæ progredere, splenduisse sicut Sol, quando oritur, & illa claritatè illuminasse nocte per univèrsam orbem, ut esset quasi meridies.

Hæc ita non malo forsàn animo excogitata sunt, quia judicatum est, talem abjectam & obscuram nativitatem, sicut à Luca describitur, indignam esse Majestate filii Dei; sed cogitandum erat illud, lucerna pedib⁹ meis verbum tuum. Omnino enim etiam ad nativitatè Christi pertinet, quod Paulus dicit: cum in forma Dei esset, exinanivit semet ipsum, forma servi sumpta.

Et observandum est, quantum cogitationes illæ, quæ speciosæ videntur, derogent mysterio redemptionis & salutis nostræ. Venit enim filius Dei in hunc mundum, non ut suam Majestatem ostentaret, sed ut nos perditos in communionem cælestium bonorum secum reduceret. Ad illam igitur massam humani generis, quam ex Mariæ virgine assumpsit, extra omnem controversiam, filius Dei attulit plenitudinem cælestium bonorum. Quia vero non propter illam tantum massam beandam incarnatus est, sed ut ex plenitudine ejus nos omnes acciperemus: Ideò Majestatem suam non exeruit, sed exinanitione oportuit ipsum pro nobis servum fieri, ut ita nobis mereretur, & à patre impetraret, ut in communionem cælestium illorum bonorum & nos cum ipso reciperemur. Et hanc dicit Paulus 2. Cor. 8. 9. insignem esse gratiam Christi, quòd cum dives esset, plenus sc. divitiis etiam in assumta humanitate, omnium cælestium bonorum propter nos exinanitione, pauper factus est, ut nos illa paupertate divitiis istas cælestium bonorum, quæ nobis aliàs non debebantur, acciperem⁹. Dulcis igitur est Ambrosii sententia: Propter te infirmitas, in se potentia; propter te inopia, in se opulètia: noli hoc æstimare quod cernis, sed quod redimeris, agnosce. Plus Domine Iesu inopia tuæ debeo, qua redemptus sum, quam opulentiæ, qua creatus. Non enim prodesset nasci, nisi etiam redimi profuisset, &c.

Hæc dulcis & necessaria consolatio perit nobis, si offensi in firmitate exinanitionis extra Scripturam fingamus miracula, quib⁹ filius Dei Majestatè suam in assumta carne, statim in ipsa nativitatè, plenè exeruerit. Nam quod peccatis nostris debebatur, in ipsa statim nativitate filius Dei in se derivare voluit, ut nos redimeret, voluit etiam onus paupertatis hoc modo in suis sanctificare. Retineamus igitur simplicem illam descriptionem nativitas Christi, quam Spiritus S. apud Lucam tradidit, nec patiamur nos quacunq; specie ad alias cogitationes deduci. Et considerentur causæ, quare tam obscura & abjecta exinanitione filius Dei voluerit homo nasci.

Periocha historiæ de Angelis, nunciantibus & celebrantibus

Nativitatem CHRISTI.

IUCUNDA est consideratio, quod in ipsa historia nativitas Christi pulcherrimè ostenditur, quid sit exinanitio, de qua Paulus loquitur, Phil. 2. 7. & quid significet verbum *κενωσθαι*.

Filius enim DEI, divinam suam Majestatem in incarnatione non ita evacuavit, ut, quod ab æterno fuit, desierit esse, sicut evacuatur saccus, Genes. 42. v. 35. vel sicut Noëmi inquit, Ruth. 1.

¶ 21. Plena abii, & *κην* revertor, & Gen. 37. v. 24. Spelunca est vacua. Incarnatio enim non est amissio divinitatis, sed arctissima unio divinæ & humanæ naturæ in unam personam. Unde tota plenitudo divinitatis habitat in Christo corporaliter, Col. 2. v. 9. Est enim Immanuel. Et angelus vocat ipsum Jehovah, loquens ad pastores: Sed ille, qui est Jehovah & Immanuel, nascitur in stabulo, in summa paupertate & infirmitate sine ulla ostensione divinæ potentia & Majestatis, quam tamen, ut sciamus, *ὑποσαρκίως*, habitare in assumpta illa carne jacente in præsepi, mox vocatur, (*Christus Dominus*,) sive Jehovah, & illius (*Dominus claritas*,) quæ in stabulo infirmitate tegitur & latet, in agro Bethlehemitico (*pastores ita circumfulget, ut magno timore timeant*,) cum in præsepi infans propter infirmam speciem despiciatur. Qui omni Bethlehemitarum cura & ministerio destitutus, in stabulum reicitur: illum exercitus coelestes eadem hora in agro, ut ministri agnoscentes Dominum suum, cum gaudio & læticia adorant. Ita enim scriptum fuisse dicit Apostolus, Ebr. 1, 6. fore, quando pater primogenitum illum introduceret in orbem terrarum: ut omnes angeli ipsum adorarent. Cui terra locum nativitatis idoneum negat: illi cœlum, astra, angeli famulantur, Luc. 2. Matt. 2. Divinam enim illam potentiam & Majestatem, quam in stabulo tegit & occultat, non tantum in agro Bethlehemitico, verum & in Oriente, hoc est, in partibus terræ remotissimis exerit, & ostendit eam Magis: imò in ipso cœlo peculiari & admirabili stella. Ita quadrat huc illud Pauli: Nihil differt à servo externa specie, & tamen interea hæres est & dominus omnium. In illo igitur infante, qui pannis involutus jacet in præsepi, tota divinitas habitat corporaliter: sed forma servi tecta, Majestatem, virtutem, & potentiam suam non exerit. Et hoc vocat Paulus exinanitionem: sumta ratione vocabuli ab illis exemplis, quæ loquuntur de virtute & efficacia, quæ prout se vel exerit vel non exerit, dicitur vel *κην* vel non *κην*. Sicut Ef. 5. v. 11. dicit Dominus: Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed efficiet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. 2. Cor. 6. v. 1. hortamur, ne gratiam Dei acceperitis *εἰς κενόν*. 1. Cor. 1, 17. misi me Evangelizare, non in sapientia sermonis, ne crux Christi *κενωθῆ* exinanietur. 1. Cor. 15, 10. gratia ejus in me non fuit *κενή* inanis. 1. Thess. 2, 1. novistis ingressum nostrum ad vos, quod non fuit inanis. Lutherus germanicè reddidit pulcherrimè, quod in aliis linguis uno verbo tam commode non potest fieri, *Er hat sich geäußert*. Et Paulus ipse, Phil. 2, 8. vocabulum illud explicat per verbum Humiliare, quod se. forma servi sumta in similitudine hominum factus, & habitu inventus est, non ut Deus incarnatus, sed ut homo: nisi quod postea Apostoli viderunt gloriam quasi unigeniti.

Quia verò potentiam illam, quam infans in stabulo occultat, eodem tempore in agro & Oriente, imò in cœlo exerit, testimonium est, non aliqua indigentia, sed voluntaria humiliatione exinanitionem illam factam esse. Talem enim oportebat esse satisfactionem, pro superbia, quæ in paradiso initium fuit omnis pecca-

ti, cum Eva & Adam id, quod non erant, sibi arrogarent, & affectarent esse sicut Dei. Gen. 3, 5. Fuit igitur primum peccati affectatio, seu potius rapina divinitatis. Et huc alludunt verba Pauli: Non rapinā arbitratus est, esse æqualem Deo. Hujus verò peccati expiationem Deus talein esse voluit, ut qui in forma Dei erat, servi forma sumta se ipsum exinaniret, & Majestatem divinitatis, quæ in ipso corporaliter habitabat, non exereret. Hoc tantum mysteriū simplicissimè proponitur, in illa collatione descriptionis de obscuritate in stabulo, & de gloria Domini in agro. Hæc ideò libentius annoto, ut historica observatio magis amentur. Non enim opus est, perëgrinas disputationes accersere, cū utilitè hæc pulcherrima mysteria in explicatione historiae nativitatis Domini observari & evolvi possint.

Posita hac commonefactione, jam illustrior erit consideratio circumstantiarum: Dicit enim Lucas, fuisse (*pastores in illa regione*,) non autem intelligit regionem totius Palæstinae, sicut Mar. 1, 5. dicitur tota Judæa regio exiisse ad Iohannem: sed agrum, qui ad civitatem Bethlehem pertinebat, vocat *χωράν*: sicut vocatur Gadarenorum regio, Mar. 5, 1. & agri fertiliores divitis illius, Luc. 12, 16. vocantur *χώρα*. Quia igitur ager Bethlehemicus, domus panis dictus, à bonitate & fertilitate terræ nomen acceperat, non est dubium optimis illum pascuis abundasse. Et Gen. 35, 21. circa Ephratam fit mentio turris Eder, quæ à gregibus ibi cogi solitis nomen habet. Et ex 2. Par. 27, 4. sicut supra dictum est, colligitur, sicut vicus civitate minor est: ita turrim sive castellum, vico inferius & angustius esse. Unde apparet, cives Bethlehemiticos greges suos non in civitate aluisse, sed in peculiari loco, turri sc. Eder, quæ fuit habitatio pastorum. Et in illo loco verisimile est, factam esse hanc apparitionem angelorum. Non autem pastoribus in castello illo dormientibus angelus apparuit: sed sine dubio operæ ita distributæ fuerunt, ut quidam noctu excubias circa greges agerent, reliquis interdiu, quæ ad pascua pertinent curantibus. Lucas igitur illos pastores, quibus angeli apparuerunt, vocat *ἀγροκόνας*, quod Theophylactus rectè exponit in agris *αὐλιόκονες* pernoctantes. Et Varinus illud Hesiodi *ποιμένες ἀγροκοί* ita exponit, qui sub dio in agris pernoctant. Et causam hujus pernoctationis Lucas dicit fuisse: (*Quia vigiliis sive excubiis noctis circa gregem custodierunt*.) Numerantur autem quatuor virgiliae noctis, Mar. 13, 35. Serò, medium noctis, gallicinium, & diluculum, & forsan singulæ vigiliae certis pastoribus per vices assignatæ fuerunt. Et hinc certò colligitur Christum natū esse noctu. Illis ergo pastoribus servantibus circa gregē vigiliis, Angelus apparuit & nunciavit felix & faustum Evangelium de nato Messia.

Varia autè quæsitæ sunt rationes, quare Deus non miserit angelum cū illo Evangelio ad Pontifices, Phariseos vel seniores populi, sed primos testes & præcones nativitatis filii sui voluerit esse pastores. Chrysost. dicit, hoc ideò factū esse, quod cū apud Iudæos passim corrupta essent omnia, pastores adhuc antiquæ innocentia, vetustissimū genus vivendi, patriarcharū sc. & Moisis coluerint. Sed periculosa est hæc opinio, quæsi Christus illis tantum, qui meritis suis digni sunt,

natus

natus esset Salvator. Quattuor autem vera sunt causae: Una est historica: Quia Bethlehem destinatus erat locus, & nativitati & primae manifestationi nativitatis Christi, & pastores illi erant ministri civium Bethlehemiticorum, quibus commode haec praedicare poterant, & in pastores non facile suspicio cadere poterat, quasi de hoc tanto mysterio aliquid fingerent. Altera causa pertinet ad mysterium exinanitionis. Voluit enim statim à nativitate specimen & documentum praebere ejus, quod Paulus dicit, 1. Cor. 1. v. 27. Non multos sapientes, potentes, & divites, sed quae stulta sunt mundi, elegit. Item: placuit Deo, per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Tertia causa est: Ne quis existimet, se propter indignitatem, miseriam & sortem abjectiorem à communionem Christi & gratia regni ejus arceri. Potest addi & haec causa, quod convenienter pastoribus, pro ovibus contra lupos excubantibus, primum patefacta est ejus nativitas, qui ut bonus pastor animam suam pro ovibus suis positurus erat.

Apparitio autem angelorum ita facta est: Primum unus (*angelus adspiravit pastoribus.*) Et verbum *ἐγγύη*, quo Lucas utitur, significat: vel, quod non in terra, sed supernè, quasi ex aëre capitibus ipsorum imminens, adlitterit supra ipsos: vel quia ex improvise, nihil tale cogitantibus, supervenerit. Ita enim verbum illud usurpat, Lucae 20. v. 1. Actor. 4. v. 1. Nec tantum visibilis quaedam species apparuit in tenebris noctis, sed (*claritas circumfulsit*) pastores: ut esset commune factio ejus quod scriptum est, Esa. 60. v. 2. In tenebris & caligine lux & gloria Domini orta est. Fuit autem claritas illa non simpliciter angelica, sicut Matth. 28. v. 3. describitur: Sed (*claritas Domini*), quae vel testaretur Dominum ipsum praesentem esse, ut Joannes inquit 12. v. 41. de gloria Domini quae apparuit Esa. 6. v. 3. & Act. 22. v. 6. Eze. 2. v. 1. vel quae testaretur, à Domino angelum illum in re ardua mitti: sicut Exod. 34. v. 29. radii claritatis ex facie Moysi resplendebant, cum mandata Decalogi ad populum deferret. Et si illud quod erat mortis ministerium, fuit in gloria: multo magis ministerium vitae, 2. Cor. 3. 7. Qualis autem illa claritas Domini fuerit, dici non potest: nisi quod aliquid cogitare possumus, ex 1. cap. Eze. Ex. 34. 2. Cor. 3. Matth. 17. In quibus locis describitur, quomodo gloria Domini apparuerit. Et pastores, qui erant Judaei, de gloria seu claritate Domini audierant, Ex. 19. 11. (*Timmerunt igitur timore magno*, quia noverant scriptum esse, Ex. 33. 20. Non videbit me homo, & vivet. & Jud. 13. v. 22. Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Gloria enim sive majestas Domini, quando incidit in peccatorem non reconciliatum sine Mediatore, est quasi ignis consumens in stipula. Deut. 4. v. 24. Esa. 5. v. 24. Joel. 2. v. 3. Abd. v. 18.

Ac dulcis est observatio, quod ipsa historia nativitatis Christi ostendit, quare divinam suam Majestatem & gloriam non exeruerit, sed forma servi texerit. Si enim pastores, ut homines peccatores, gloriam Domini in apparitione Angeli resplendentem ferre non poterant, nec filii Israel in facie Moysi, ergo si filius Dei in assumpta carne divinam suam majestatem & gloriam

planè exeruisset, non fuisset Salvator, sed ignis consumens peccatores, quos quærere venerat. Locus enim 2. Thess. 1. v. 9. si huc conferatur, multum lucis adferet, qui sic habet: In extrema die increduli poenas luent à facie Domini, & à gloria virtutis ejus. Haec piè cogitata praebent pulcherrimam doctrinam, & ostendunt in illa simplici descriptione historiae nativitatis Domini apud Lucam multa latere mysteria.

Angelus verò cum inquit ad pastores: (*Nolite timere.*) Respicit ad historiam Exod. 20. v. 26. Ibi enim gloria Domini in ministerio condemnationis, hoc sine apparuit, ut terror Domini esset in populo. Sed haec, inquit Angelus, alia est gloria Domini, vitae scilicet & salutis aeternae, ideò non est, quod timeatis. Et orationem illam, qua primum nunciatum est pastoribus mysterium de nato Salvatore, in qua oratione ipse Domini gloria refulsit, Angelus ex Scriptura mutuatus est, & ex variis Prophetarum locis contexuit. Et hac observatione ego plurimum delector: quia ostendit dignitatem Scripturae sacrae contra conspurcationes Pontificiorum, quod ipsi angeli, quando gravissimas legationes obeunt, & orationes suas venuste ornare volunt, flores ex Scriptura sacra decerpunt. Sunt autem orationis haec verba: (*Nolite timere, Ecce.*) Nos vocabula breviter explicabimus, monstratis locis unde videntur sumta esse. Hanc enim rationem explicationis, judico, omnino esse optimam.

Quia igitur Scriptura Prophetica praedicationem gratiae novi Testamenti in Christo Salvatore peculiari vocabulo *בשר* Bifar describit, quod Graeci in illa translatione, quae tunc vulgaris & nota erat, reddiderunt per verbum *εὐαγγέλιον*, Esa. 40. v. 9. & 41. v. 27. & 52. v. 7. & 61. v. 1. Ps. 40. v. 10. & 68. v. 12. & 96. v. 2. Ideò Angelus dicit, (*Evangelizo vobis.*) ut ipso vocabulo admonerentur pastores, & qui ex ipsis haec audituri erant, novam illam praedicationem gratiae Novi Testamenti, de qua Prophetæ vaticinati erant, jam incoari & ad esse.

De (*gaudio verò magno*), quod Angelus se Evangelizare dicit, extant vaticinia in Prophetis, ut Esa. 9. 3 ubi de parvulo nato & filio dato loquitur, inquit: Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda. Esa. 51. 5. Consolabitur Dominus Sion: gaudium & latitia invenietur in ea. Item. v. 11. Latitia sempiterna super capita eorum, gaudium & latitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus. Ego, Ego ipse consolabor vos. Et eadem illa verba extant c. 35. 10. Ubi manifestum extat vaticinium de Christo. Et illam geminationem gaudii & latitiae in Propheta, in sua oratione angelus exponit per (*gaudium magnum.*) Per Metalepsin verò vocabulo gaudii intelligit gratiam Dei, & omnia beneficia Christi, quae ideò vocabulo gaudii proponit, ut ostendat, non leviter vel obiter, nec in genere tantum haec audienda & cogitanda: sed ita, ut eorum agnitio & consideratio gaudium, & quidem magnum gaudium in nobis excitet, utque cum gaudio illa accipiamus & meditemur, Luc. 8. v. 13. Simul verò ostendit, magnum, seu verum & solidum nostrum gaudium in eo situm esse, si Christus sit noster Salvator. De reliquis omnibus voluptatibus & des-

liti-

litiis extra Christum verum esse, quod scriptum est: Extrema gaudii luctus. Ne verò hoc gaudium ad illos solos pertinere quis arbitretur, quibus angelica revelatione annunciat, addit: (*Quod gaudium erit omni populo.*) Et sensus ex illis Scripturæ locis, unde hæc verba sumta sunt, commodissimè deprehenditur, Esai. 11. v. 10. Stat in signum populorum, & illum gentes inquirunt. Esai. 2. v. 2. Fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. cap. 60. v. 21. Populus autem tuus omnes iusti. Et cap. 42. v. 6. & 49. v. 6. Dedi te in fœdus populi, & lucem gentium, Ose. 1. v. 10. In loco ubi dicitur non populus meus, dicentur filii Dei viventis. Complectitur itaque Angelus hæc appellatione primum electum populum Israël; deinde etiam ramos oleastri, qui olivæ inferendi erant, Rom. 11. v. 17. & 1. Petr. 2. v. 10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus DEI vivi. Atque ideò Syrus Paraphrastes ita reddidit; Gaudium quod erit universo mundo.

Et rationem magni hujus & universalis gaudii Angelus hanc esse dicit: (*Quia natus est vobis Salvator.*) Verba extant Esa. 9. v. 6. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et insignis est emphasis in illo pronomine, quod angelus non dicit nobis, sed (*vobis*), cum admiratione enim prædicat, talem ac tantam gratiam filium Dei nunquam, ne sanctis quidem angelis exhibuisse, qualem ac quantam incarnatione sua hominibus peccatoribus, miseris & perditis exhibuit: quia non angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ, caro factus, assumit, Ebr. 2. v. 16. de qua aliena gratia cum ipsi Angeli tantoperè exultent, quæ nostra quæso est stupiditas? Et sine dubio Angelus admirandus hoc mysterium protulit, cum ad redimendos angelos lapsos, quæ præstantior natura est, quàm humana, filius Dei noluerit angelicam naturam assumere, quòd semen Abrahamæ (qui ipse inquit, pulvis sum, & cinis, Genes. 18. v. 28.) caro factus, assumeret: Ideò, inquit, magnum est gaudium, quia vobis, qui non tantum cinis & pulvis estis, sed hostes Dei & mancipia diaboli, natus est Salvator. Vocabulum *משיח*, Syrus reddidit *פריק*, quod redemptorem, liberatorem & salvatorem significat. Sed de appellatione Salvatoris postea dicemus in explicatione nominis Jesu.

Appellatio Messia, quam Judæi græcè loquentes reddiderunt vocabulo Christi, Joan. 1. v. 42. Benedicto semini Abrahamæ primum à Davide expressè tributa est, Psalm. 2. v. 2. Et Daniel. 9. bis repetitur illa appellatio: usque ad Messiam ducem, v. 21. Item, excindetur Christus, v. 26. Postea in translatione Chaldaica per Antonomasiam, appellatio Messia, semper tributa legitur promisso semini. Et inde in vulgari sermone populi Dei receptum tunc fuit, quòd tempore nati Salvatoris nihil ulitatus fuit appellatione Messia vel Christi. Deus enim instituerat peculiare oleum conficiendum ad unguendos reges, quod in tabernaculo servabatur, 3. Reg. 1. v. 39. & Exod. 30. v. 22. Moses tradit peculiarem compositionem & sanctificationem olei pro unguendis pontificibus. Et qui

sanctificato illo oleo unctus erat, sive Pontifex, sive Rex dicebatur Messias sive Christus, cujus multa extant in Scriptura exempla. Redemptor igitur noster quia futurus erat & Rex & Sacerdos, juxta ordinem Melchisedech, rectè vocatus est Messias seu Christus. Ratio verò unctio nis explicatur, Psalm. 45. v. 8. Esai. 61. vers. 1. Daniel. 9. v. 24. Actor. 4. v. 26. Et à Messia Propheta & reliqui sancti olim vocabantur quasi Messiani, Psalm. 105. v. 15. sicut à Christo Christiani, Actor. 11. v. 26. Ne verò intelligatur talis Messias, quales sub lege multi fuerunt & Reges & Pontifices, Angelus addit: (*Qui est Christus Dominus, sive Jehovah,*) ut ostendat, hunc Messiam esse verum Deum & hominem. Hæc enim appellatio, solius Dei propria, tribuitur Messia, Jerem. 23. v. 6. & 33. vers. 16. vel vocabulum *Κριστος* accipi potest in genere, quòd scilicet Messias ille natus, de manu inimicorum asserturus & acquisiturus sibi sit populum peculiarem, Tit. 2. v. 14. quòd in medio inimicorum à mari ad mare, tum vivis, tum mortuis, dominaturus sit. Hoc enim est Christum Dominum esse, Roman. 14. v. 9. Et memorabile est, quod ipsi Rabini scribunt: Sacrum illud oleum unctio nis, 3. Reg. 1. v. 39. & Exod. 30. v. 22. per totum tempus secundi templi defuisse, quod significavit veri Messia adventum imminere, qui non materiali oleo, 3. Reg. 1. Exod. 30. sed Spiritu sancto unguendus esset, Esai. 61. v. 1.

Explicatis vocabulis, postea facilè potest hæc angelica concio in certa capita distribui, quæ ostendent, totam doctrinam de nativitate Salvatoris ordine comprehensam esse illis verbis angeli.

Primo enim, cum inquit: (*Nolite timere,*) causa monstratur, quare necesse fuerit filium Dei fieri Emmanuelem, quia divina Majestatis præsentiam & gloriam nostra caro propter peccatum ferre non poterat, sicut pastoribus accidit. Simul etiam ostenditur, qui gaudii hujus capaces sint: scilicet qui timent Dominum, sicut multi Psalmi dicunt.

Secundo docetur, quod doctrinae genus timentibus seu territis conscientis proponendum sit, ut gaudium & pacem consequantur: Evangelium scilicet. Et vera definitio Evangelii colligi potest ex illa concione angeli.

Tertio aperitur mysterium illud, quare salus illa non Angelis lapsis sed nobis contingat: scilicet quia nobis natus est, hoc est, nostram carnem assumpsit, & quia in illa carne, quæ nobis consubstantialis est, plenitudinem divinitatis, gratia & veritatis inhabitare fecit, & quasi deposuit: inde, ex illa plenitudine fidei accipere possumus gratiam pro gratia, Joh. 1. v. 16.

Quarto, extat in illa concione angeli vera descriptio Salvatoris nostri. Natus est enim illa nocte in Bethlehem: Jacet in præsepè, hoc est, verus homo est, Et est Jehovah, id est, verus Deus. Officium ejus est, ut sit Salvator. Modus autem quo Salvator noster fit, hic est, ut sit Christus, id est, summus Sacerdos & Rex qui victima corporis sui redimit & salvat nos.

Quinto, Fructus nativitatis Christi est, ut nos, qui

qui gloria majestatis Domini terribili timore magno timeamus, gaudium consequamur, quod magnum dicitur, ratione beneficiorum Christi in hac & futura vita.

Sexto, Gaudium hoc pertinet ad omnem populum.

Septimo, Evangelizando verò proponitur & offertur.

Octavo, Accipitur & apprehenditur ita, ut hæc sit applicatio, (*Vobis natus est Salvator.*) ut scilicet fide quisque ita sibi applicet. Ecce Rex tuus, Item: Tibi natus, &c. Tantum capita brevissimè ostendo, non enim institui locos communes.

Quia verò multum intererat personam Salvatoris rectè agnoscere, Angelus igitur præbet pastoribus (*signum*), quo hunc infantem ab omnibus domus Davidis infantibus rectè internoscere possint. Sed signum illud nullo modo convenit imaginationibus, quas populus ex Pharisæorum doctrina imbiberat, de externa magnificentia Messia. Et angelica voce circumfulgentè gloria Domini signum illud pastoribus datur, ne illi, quibus annuncianda esset hæc nativitas offenderentur præsepi & fasciis. Et signum illud pertinet, non tantum ad diem nativitatis Christi, sed ad totum regnum ejus in hac vita. Porro multi disputant quomodo (*infans involutus pannis, jacentis in præsepi*) possit signum esse ejus, quod angelus nunciatur: Sed Grammatica significatio vocabuli quæstionem hanc rectissimè solvit. *Σημεῖον* enim hoc loco non significat miraculum extraordinarium, sed certam quandam notam, qua res quam agnoscere volumus, ab aliis discerni & internosci potest. Ita Jos. 2. v. 18. signum rubri filii in ædibus Rahab suspensum, vocatur Græcis *σημεῖον*. Et 2. Thess. 3. vers. 17. Paulus dicit, hoc est *σημεῖον*, id est, certa nota, qua genuinas meas epistolas à supposititiis discernere debetis. Sensus igitur verborum Angeli hic est: ut natum Salvatorem certo inveniat, nec aberretis, observate hanc notam: Quarite in civitate Davidis, quæ puerpera hac nocte pepererit, non in aliqua habitatione seu cubiculo domus, sed in loco ubi præsepi sunt, & si invenieritis infantem hac nocte in stabulo natum, qui laceris pannis involutus adhuc in præsepi jaceat, hunc scitote esse Salvatorem, Christum Dominum vobis natum. Et observetur, Angelum illud ipsum, quod pastores offendere poterat, per inversionem proponere pro certa nota qua agnoscendus sit Salvator. Nec Angelum pudet præsepi & fasciarum, cum propter nostram salutem Dominus se illis involvere voluerit, atque ita à nobis inveniri velit. Et talis in genere est ratio regni Christi.

Hactenus unicus ille Angelus tantum pastoribus apparuit, & hanc orationem circumfulgentè gloria Domini habuit. Ut verò major esset concionis angelicæ auctoritas, (*subirò*) circa unicum illum angelum, qui hactenus locutus fuerat, apparuit & visa fuit magna multitudo angelorum, non in cælo, sed vel in aëre, vel in terra. Mox enim sequitur, quod angeli illi in cælum discesserunt. Et modum apparitionis existimo notari, ubi Lucas vocat (*militiam cæle-*

stem) Ita enim in modum castrorum, quasi curus & equites flammei, leguntur apparuisse, Gen. 32. vers. 2. 4. Reg. 6. v. 17. Et quia Dominus Zebaoth, fortis in prælio, homo factus erat, exercitus igitur cælestes promptitudinem ministerii sui infanti illi, cui ut capiti, Ephes. 1. v. 22. subjectos se agnoscunt, declarant, Psalm. 24. v. 8. Illi igitur cælestes exercitus, priusquam è terra in cælum discesserunt, sonora voce conjunctim DEum laudarunt, pro immenso illo beneficio nati Salvatoris. Et in visione quidem Isaias audivit Seraphim laudantes Dominum in cælis: sicut & Johannes in Apocalypsi: sed jam in terra, non sex Seraphim, ut Esa. 6. vers. 2. non viginti quatuor Seniores, ut in Apocalypsi, sed magna multitudo angelorum auditur laudare DEum. Et quia in specie cælestis militiæ apparuerunt, fuit quasi *Ἰννίστιον*: hoc est, sicut victores exultant capta præda, Isa. 9. vers. 3. Et fuit spectaculum, quale ab initio mundi in terra visum non fuerat post lapsum hominis. Olim enim Cherubim flammanti gladio se opposuit Adamo, Gen. 3. v. 24. ut ostenderet divortium inter Angelos & homines. Christo verò nato ad unum caput redacta sunt, quæ sunt in cælo & quæ in terra, quæ per peccatum hactenus divulsa fuerant, Eph. 1. v. 10. Col. 1. v. 20. Ad testificandum igitur illam recapitulationem, angeli jam in terra, inter homines, hymnos suos concinunt, qui hactenus in cælo auditi fuerant.

Maria verò verba cantici illius angelici, quæ ex pastoribus audierat in corde suo conservavit, & inde in literas relata ad nos pervenerunt. Quæ ideo diligenter sunt expendenda, quia docent, quæ sint cogitationes, sive quis vocare velit sermones, in ipso cælo inter Spiritus cælestes, de incarnatione filii DEI. Sed nos, pro instituti nostri ratione, pauca quadam annotabimus. Et hoc in primis velim considerari, quod Luc. 19. vers. 8. inter carmina gratulatoria, quibus turba Messiam excipere, sicut ex Psalm. 118. colligitur, edocta fuerat, illa ipsa fermè verba, quibus angeli utuntur, extant, quibusdam tantum mutatis: scilicet pax in cælo, gloria in altissimis. Et verba hymni illius angelici in valde multis Scripturæ locis extant, & citata sunt in aliis etiam angelorum hymnis, Esa. 6. v. 3. Apoc. 4. v. 8. & 7. v. 12. & 11. v. 17. & 19. v. 1. Et quidem Apostolos grata memoria, & singulari cum delectatione, verba illa militiæ cælestis retinuisse, inde colligitur quod in epistolis ipsorum, in principio & in fine resonant: Gratia & pax. Item: Cui gloria in secula, &c.

Porro vulgò in tria membra dividitur angelicum illud carmen. Ostander verò membra ita disponit: (*DEO in altissimis gloria. Hominiibus in terra pax. Et eudoxia*) legit in Dativo, ut ad utrumque membrum referatur, & fontem ostendat, quod & Deo tribuatur gloria, & hominibus in terra pax sit, gratuitam esse DEI benevolentiam, qua in nato Salvatore homines complectitur. Hæc sententia vera & bona est: sed si gratam distributionem sequamur, eadem & simplicior erit sententia.

Quia verò sine verbo carmen illud angelorum constat, potest subaudiri, vel *in*, vel *est*: vel

vel sit. Et simplicissima ratio est quam Vitus Theodorus ostendit, si hymnus ille angelicus accipitur, 1. tanquam gratulatio & gratiarum actio. 2. tanquam votum, quid angeli optent hominibus ex nativitate Christi. 3. tanquam doctrina, quæ scilicet sit vera gloria DEI, quæ vera pax & *eudoxia*.

Prius igitur (*Gloriam Deo in altissimis*) canunt Angeli. Quod enim DEus genus humanum reum, non voluit sine redemptione & satisfactione in gratiam recipere, in eo celebratur gloria justitiæ Dei. Et quod juxta promissionem misit redemptorem, in eo gloria est veritatis DEI. Quod verò DEus filium suum, natum ex muliere, misit in similitudine carnis peccati, & in forma servi non hominum meritis aut dignitati tributum fuit, sed ita immensas divitias bonitatis & misericordiæ suæ DEus mundo ostendere voluit, ad laudem gloriæ gratiæ suæ, Eph. 1. v. 6. Ita hactenus in articulo creationis, gloria Domini plenam esse omnem terram, angeli cecinerant, Isa. 6. v. 3. Sed hæc alia & excellentior est gloria, quod nobis, qui mancipia diaboli & hostes DEI eramus, Rom. 5. vers. 10. puer natus & filius datus est, Is. 9. v. 6. Celebrant igitur angeli gloriam justitiæ & gratiæ Dei in nativitate Christi exhibitam, & voto suo hominibus optant, ut & ipsi tantum hoc beneficium DEI rectè agnoscant, celebrent, & ad gloriam ipsius referant. Simul etiam docent: nullam esse veram gloriam, qua homines DEum glorificare possunt, nisi in Christo gloria in excelsis Deo tribuatur: sicut Christus ipse docet, Joh. 12. v. 28. & 13. v. 31. Et angeli lætandi hoc canunt. Cum hactenus nomen Dei vel blasphematum fuerit, vel non rectè glorificatum, Rom. 1. v. 21. quod nunc gloria Deo in altissimis: non tantum ab angelis in cælo, sed & ab hominibus in terra, in Christo JESU, tribui poterit.

Si hoc modo etiam secundum membrum, (*Et in terra pax*), consideretur, explicatio plana erit. Quia enim Is. 9. v. 6. Messia nomen est, quod sit princeps pacis, cujus non erit finis. Et fœdus pacis promittitur Is. 26. vers. 3. & 54. vers. 10. Et c. 53. v. 5. disciplina pacis nostræ super ipsum. Docent igitur angeli promissam illam pacem jam in terram missam esse, nato illo, qui est pax nostra. Eph. 2. v. 14. pacificans ea quæ in terris sunt, cum illis quæ in cælis sunt. Col. 1. v. 20. & extra. Christum nullam esse veram pacem. Simul etiam ostendunt fructum nativitatis Christi esse pacem conscientiæ erga DEum, & pacem charitatis inter angelos & homines, Rom. 5. v. 1. & 8. v. 1. Esa. 32. v. 17. Opus justitiæ pax, sicut & Christus inquit: Pacem meam do vobis. Joan. 14. v. 27. Et Apostoli in salutationibus ideò semper conjungunt gratiam, misericordiam, & pacem. Et pacem illam Christus definit & distinguit, Luc. 12. v. 51. Non veni mittere pacem super terram, sed gladium, Joan. 14. v. 27. Pacem meam do vobis non sicut mundus dat. Deinde angeli hoc membro Deo gratias agunt, quod jam pax sit in terris. Cogitant enim, quod homines per peccatum avulsi à DEO Is. 59. v. 2. hostes DEI fuerunt, Rom. 5. v. 10. & 8. v. 7. & DEUS in monte Sina non pacem ostendit terræ, sed

ignem furoris sui. Ipsis etiam Angelis non fuit pax cum hominibus avulsis à DEO Zebaoth, Genes. 3. v. 24. Et homines inter se sine caritate vixerunt. Gratulantur igitur Angeli hominibus & gratias agunt DEO, quod nato Christo inimicitia è medio sublata & reconciliatione inter DEum & homines cœpta, pax constitui cœperit, Eph. 2. vers. 14. Quodque jam recapitulata & pacificata sunt, quæ in terris & quæ in cælis, Col. 1. vers. 20. Et DEum colligaturum credentes fraternam caritatem in vinculo pacis. Hanc gratulationem ardentior in angelis facit, consideratio miserissimi status in inimicitis inter DEum & homines. In nobis gratulatio illa frigidior est quia delectamur inimicitis adversus DEUM gerendis: accendi tamen debet illa consideratione quam angeli nobis proponunt.

Obiter notetur & hæc differentia, Angeli hic canunt, (*Pax in terra*): Homines verò. Luc. 19. v. 38. canunt, Pax in cælo. Sicut enim angeli gaudent homines in terra, antea inimicos, jam Deo esse reconciliatos, terram non amplius ardere furore iræ DEI sicut in Sina. Ita homines debent sibi gratulari quod sciunt cælum sibi apertum, & illum qui in cælo habitat non amplius loqui in ira sua sed esse reconciliatum, &c. Tertiò optant hominibus in terra ne pacem & reconciliationem illam spernant, negligant aut violent, sed oblatam quarant, accipiant & conservent, sicut 2. Cor. 5. v. 20. Paulus inquit, DEO exhortante per nos obsecramus: Reconciliamini DEO, item gratia & pax vobis, Phil. 4. vers. 7. Pax DEI custodiat corda vestra in Christo, Col. 3. v. 15. Pax Christi exulet in cordibus vestris, 2. Thess. 3. v. 16. Ipse DEus pacis det vobis pacem 1. Pet. 1. v. 2. Gratia & Pax vobis multiplicetur. Optant etiam, ut homines inter se piam pacem colant.

Tertium membrum obscurius videtur, & inde non tantum variæ explanationes traditæ, sed & lectio ita mutata est. Beda cum aliis legit: (*Hominibus eudoxias*) quod interpretantur, Bonæ voluntatis: Et explicant fructum nativitatis Christi pacem scilicet, contingere illis tantum, qui bonam voluntatem habent erga DEum. Quæ verò vident, huic interpretationi obstare Pauli sententiam, quod Christus venerit in mundum peccatores salvos facere. Et Rom. 5. v. 10. Cum inimici essemus reconciliati sumus DEO: quærunt alias declarationes hujus explanationis, quod scilicet impiis non sit pax, sicut Isaias inquit, e. 57. v. 24. sed qui convertuntur ad DEum. Ut sicut dicuntur filii iræ, filii inobedienciæ, & homo peccati. Ita simili phrasi dicantur homines *eudoxias* seu beneplaciti, qui accepta reconciliatione placent Deo. Sed Græca lectio non habet: (*Hominibus eudoxias*). Alii sicut supra dixi (*Hominibus*) referunt ad secundum membrum, & *eudoxia* legunt in Dativo: Hominibus in terra pax, ex gratuita DEI benevolentia, gratia seu misericordia, quæ est *eudoxia*. Eph. 1. v. 5. Adoptavit nos juxta beneplacitum voluntatis suæ. Est & hæc in lectione diversitas, quod quidam legunt simpliciter, (*Hominibus eudoxia*): Alii cum præpositione legunt, (*In hominibus*). Quæ lectione multi offenduntur, quia Latinis auribus non videtur bene

bene sonare, (*In hominibus beneplacitum*;) sed ex phrasi simplicissimè hæc possunt dijudicari. Verbum enim *εὐδοκία* plerumque construitur cum Dativo, mediante præpositione *ἐν*; sicut Hebræis cum Beth ut 2. Reg. 2. v. 20. Liberavit me, quoniam *εὐδοκίησθε ἐν ἐμοί*, Psal. 44. vers. 4. Brachium ipsorum non salvabit eos, sed quia *εὐδοκίησας ἐν αὐτοῖς*. Et in novo Testamento sæpè ita construitur, ut Matth. 3. v. 17. in quo complacui 1. Cor. 10. v. 5. In plurimis ipsorum non complacuit, &c. Ulstratus autem est Hebraismus, quod nomina constructionem suorum verborum reinrent & imitantur. Præpositio igitur (*ἐν αἰσθησις εὐδοκία*) peritos linguarum non offendit, sed videtur sententiam illustrare; sicut Germanicè vis præpositionis reddi potest, *An den Menschen ein Wohlgefallen*. Et ex antithesi omnium rectissimè potest intelligi. Extra Christum enim quando DEus prospicit de cælo, meram abominationem videt in hominibus. Rom. 3. v. 12. Genes. 6. v. 5. Sed nunc, quia in Christo aspicit naturam humanam assumptam, inquit: Esai. 42. v. 1. Matth. 3. v. 17. Marc. 1. v. 11. Luc. 3. v. 22. 2. Pet. 1. v. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo complacui. Nec verò ad illam massam tantum, quam filius DEI assumpsit, *εὐδοκία* illa pertinet: sed Paulus, Ephes. 1. v. 5. explicans doctrinam de nostri reconciliatione cum Deo & adoptione, utitur eodem vocabulo. & Luc. 12. vers. 32. Noli timere pusille gregem, quia complacuit patri dare vobis vitam æternam. Et Syrus, illo vocabulo quo Evangelium describitur hoc loco reddidit *εὐδοκίαν*: Evangelium bonum erga homines. Et sanè Evangelium nihil aliud est, quam

annunciatio *εὐδοκίας* Dei erga homines. Angeli igitur gratulabundi hanc gratiam Dei celebrant, quod cum extra Christum DEus in hominibus videat & inveniatur tantum abominationem: Jam in, per, & propter Christum, sit *εὐδοκία ἐν αἰσθησις*. Et pulchrè hoc figuratum fuit lamina aurea, quam Pontifex in fronte gerebat, cui insculptum erat: Sanctum Domini, *ἁγία εὐδοκία αἰσθησις*, coram Domino. Ex. 28. v. 38. Et Jud. 15. vers. 7. *εὐδοκία* opponitur vindictæ. Ita enim inquit Samson. Nisi hoc feceritis, *ἐν εὐδοκίᾳ*, sed vindictam meam ex singulis persequar. Et hæc etiam antithesis illustrat verba angelorum, *εὐδοκία*.

Porro quia vocabulum *εὐδοκίας* aliquando etiam ita usurpatur, ut sit quædam *εὐδοκία* active (ut sic dicam) in hominibus erga DEum, Phil. 1. v. 17. 2. Thess. 1. v. 11. 2. Corinth. 7. v. 8. & 12. vers. 10. Quidam hoc loco *εὐδοκίαν* interpretantur, de apprehensione & applicatione pacis, quæ in nato Salvatore offertur. Et vera fides pulcherrimè ex hac sententia describi potest: quod sit in hominibus *εὐδοκία*, quæ cum gaudio in Christo apprehenso, tanquam in summo bono, acquiescit, ita ut etiam in infirmitatibus seu sub cruce in Christo placidè acquiescat, sicut Paulus inquit, 2. Corinth. 12. vers. 10. Ut ita *εὐδοκία* significet mutuam relationem, gratuita DEI benevolentia erga homines, & hominum complacentiam, quæ in gratia illa Dei in Christo acquiescunt. Extra Christum enim nulla vera est in hominibus *εὐδοκία*. Quid igitur in tertio hoc membro Angeli doceant, gratulentur & optent hominibus, ex his quæ monstravimus fundamentis intelligi poterit.

Periocha Historia, de pastoribus venientibus Bethlehemam.

Cum Angeli discessissent in cælum, pastores re deliberata & collatis sententiis, censuerunt omnibus modis illud, quod audierant accidisse, quærendum & investigandum esse, an ita se haberet. *ἡ γὰρ γενομένης* significat rem gestam, ut 2. Reg. 1. v. 4. Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Non simpliciter autem ab Angelo, sed ab ipso Domino, cujus gloriam circumfulgentem viderant, hanc revelationem profectam esse judicabant. Ideò dicunt, (*Quod Dominus manifestavit nobis*.) Sicut 1. Thess. 1. v. 13. Paulus dicit: Accepistis non ut verbum hominum, sed DEI. Ex verbis autem Angeli, de infante inveniendò in fasciis & in præsepi, intellexerant sibi divinitus mandatum esse, natum Salvatore eodem modo, sicut ex Angelo audierant, quærendum & agnoscendum esse. Ideò mutuo se hortantur. Nam particula *ἵνα*, Ebraicum *כי* videtur exprimere, ut sensus sit: (*Transemus quæso*.) Et quia celeriter nulla interposita mora, scribuntur venisse Bethlehemam, colligitur, circa postremam noctis vigiliam fuisse, quando angeli pastoribus apparuerunt, ut prima luce manè pastores Bethlehem venirent. Scholastica historia ex literis dominicalibus supputat, fuisse diem dominicam: sed hæc supputatio incerta habet fundamenta.

Harm. Tom. I.

Quòd verò Lucas non simpliciter dicit: (*invenierunt*;) sed *ἀνευρον*: vult intelligi, factam esse in civitate Bethlehem à pastoribus diligentem inquisitionem. An illa nocte puerpera aliqua in stabulo peperisset, & ubi infans aliquis recens natus in præsepi reclinatus jaceret. Et post diligentem inquisitionem, ita invenerunt, sicut Angelus dixerat: nec offensi fuerunt vel parentum paupertate, vel stabuli sordibus, vel infantis humilitate, id quod magnitudinem fidei ipsorum ostendit. Illi verò (*coeperunt*) primum Mariæ & Josepho, deinde per totam civitatem inter omnes (*divulgare*) apparitionem angelorum, & quid ex Angelis, circumfulgente gloria Domini, de illo puero nato in stabulo & jacente in præsepi audissent. Est enim emphasis in verbo *ἀνευρον*, quòd ubique & apud omnes hæc nota fecerint. Sicut igitur in civitate Bethlehem Messias debebat nasci, ita etiam prima manifestatio Nativitatis ejus ibi debebat fieri. Nec cogitandum est, hæc, quæ de pastoribus scribuntur, acta esse unius horæ vel diei spacio. Et in tam frequenti conventu, omnium qui erant de domo & familia Davidis, celebris sine dubio factus est rumor. Nam domui Davidis peculiariter facta erat promissio de Messia. Et principio, non curatus fuit ille rumor, præsertim illo ipso tempore, cum

I 2 cum

cum à Caesare Romano talis descriptio, sicut dictum est, imposta esset. Nec dubium est, illos, qui erant præcipui de domo & familia Davidis, diligenter inquisivisse ex pastoribus, de singulis circumstantiis. Audi verò quid consecutum sit. Omnes, inquit, qui audierunt, admirabantur de his, quæ pastores narrabant, hoc est, non poterunt omnino contemere illustrem illam apparitionem angelorum, quæ facta erat pastoribus, cum non esset verisimile, homines simplices hæc ita posse confingere. Sed quando considerabant, quod non sacerdotibus, ut de Baptista factum fuerat: non illis, qui de domo Davidis in senatu Synedrii erant, facta esset illa per angelos revelatio: sed pastoribus, hominibus abjectissimis: & præterea videntes summam exinanitionem & paupertatem nati infantis, offensi sunt. Plerique igitur mirabantur tantum, non autem credebant infantem illum esse Christum Dominum: quia habebant rationes, quæ movebant, ut crederent, erant contra, quæ offenderent. Nec tamen dubium est, apud aliquos illud verbum Domini efficax fuisse, juxta dictum Isa. 55. v.

11. Nam & credentibus tribuitur admiratio, Isa. 66. v. 5. Hoc igitur modo in civitate Davidis à domo & familia Davidis primum exceptus fuit Christus.

(Pastores) verò cum viderent omnes mirari, paucos verò credere, ipsi de divina revelatione certi, (reversi sunt) ad Turrim Eder, ad officia vocationis suæ (glorificantes Deum,) quod digni habiti fuissent talia audire, quodque rem ita se habere vidissent, sicut ex Angelis audierant. Illa enim verba (Sicut dictum fuerat ad ipsos) proprie ad verbum (viderant) referenda sunt.

Maria verò illa, quæ pastores narrabant, diligenter memoria mandabat, traditura postea illa Apostolis: & apud se, in corde suo instituebat collationem horum cum iis quæ ex Gabriele audierat: & hæc omnia cum Scripturæ oraculis conferebat, quam pulcrè inter se convenirent, ut ita fides confirmaretur. Hoc enim significat *συμβάλλειν*. Et præclarum est exemplum, quid piis faciendum sit toto mundo dubitante seu admirante, vel etiam ridente ea, quæ divinitus patefacta sunt.

CAPUT IX.

CONTINENS HISTORIAM, CIRCUMCISIONIS DOMINI,

Lucæ 2.

HISTORIA CIRCUMCISIONIS CHRISTI,

Luc. 2.

21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτώ, περιεμὲν τὸ παιδίον, καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἸΗΣΟΥΣ, τὸ κληθὲν ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου, πρὶν εἶναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ.

21. Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.

Periocha Historiæ circumcissionis Domini & explicatio nominis Jesu.

Mentio octavæ diei, ἀπολύθια historiæ. Mostendit manifestius, quam ut de ea disputandum sit. Et simplicitas descriptionis historiæ indicat, in externa circumcissione Christi nihil accidisse quod vel extraordinarium vel miraculosum fuerit, Et phrasîs Scripturæ est, (Postquam consummati, vel impleti sunt dies octo.) Non enim sensus est, quod post exactos octo dies, nono fuerit circumcisus, sed cum exactis septem diebus octavus dies advenisset, sicut quinquaginta dies dicuntur, Actor. 2. v. 1. impletis, cum quinquagesimus adesset. Sicut & Gen. 25. v. 24. & Lucæ 1. v. 57. dicitur, impleti sunt dies, ut pareret. Conjunctio καὶ videtur abundare, ideo à multis interpretibus omittitur: sed quia Græca exemplaria illam legunt, ita constructio ordinanda est. (Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer,) scilicet, circumcisus est (& vocatum est nomen.) Non enim sen-

sus est, octavo die cum circumcidendus esset puer, omiſsa circumcissione nomen ejus vocatum. Similis phrasîs mox sequitur etiam in historia purificationis. Octavo igitur die circumcidebantur etiam reliqui infantes, nec alia ratione circumcisio facta est in puero Jesu, quam sicut describitur, Gen. 17. Usitatum etiam hoc in aliis fuit, quod in circumcissione infantibus nomina imponebantur, sicut testatur historia de Johanne. Monachi igitur cum putarent, de hac tam vulgari historia nihil speciosè posse dici, finxerunt, præputium præcisum à corpore Domini post annos 300. & amplius, oblatum Carolo Magno ab angelo, qui ei peculiarem cultum decreverit. Sed nos omiſsis fabulis de re ipsa dicemus.

De historia hoc observandum est: quod circumcisio usitato more legis, non facta fuit à parentibus solis: sed convenerunt & alii, & de ratione